

Johann Jacob Döbel

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Jacobus Döbelius,
Med. D. Professor Publicus, & Poliater, ad Solemnas Exequias, Quas Viro ... Dno.
Andreae Wolffio, Senatori Civitatis huius ... Coniugi Parentque Suo
Desideratissimo, Vidua & Liberi moestissimi paratas cupiunt, Omnium Ordinum
Cives Academicos peramanter invitat**

Rostochii: Kilius, [1675]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777134233>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA,

Quo

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOHANNES JACO-
BUS DÖBELIUS,

Med. D. Professor Publicus,

& Poliater,

ad

Solemnes Exequias,

Quas

pro Amplissimo & Prudentissimo,

DNO. ANDREÆ
WOLFFIO,

Senatori Civitatis hujus spectatissimo, &
Præfecto Provincialis Mecklenburgici, quod hæc
Rostochii est, Ærarii fidelissimo,

CONJUGI PARENTIQUE SUO DESIDERATISSIMO,

Vidua & Liberi moestissimi

paratas cupiunt,

Omnium Ordinum CIVES ACADEMICOS,

peramanter invitat.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.

LB FP Wolff, Andreas 1675



Aud Umbrati-

les videbimur tandem,
CIVES ACADEMICI! qui
umbræ hactenus hæsimus
quadantenus delineandæ;
Umbrarum occasione verba
rogati. Quantumvis enim
nec tempori materies qua-

draret, nec rebus, personisve; quas omnes, non nisi Umbras esse, alibi ostendimus: minimè tamen, in negotioso hoc literarum otio, nostræ nos Umbræ pœniteret, variis molestiarum æstibus agitato. Est, scilicet, æstatis fervore aurâ, sub umbrâ, frigidior: quod aer, natura frigidus, quò plus fuerit calore Solis rarefactus, eò plures sui, in umbram, particulas pellat; vel qualitatem etiam, sub eadem bene densâ, diutius servet. Velut ergo frigus externum calorem concentrat internum: ita calore ille externo aliquatenus evocatus, dissipatusve; non parum, admissione umbræ, cum jucunditatis percipit, tum utilitatis. De armento equidem patiter, ac grege, sequens est Poëtæ:

Virgil. III.
Georg. 320.
¶

*Medios quum Sol accenderit æstus;
Quum sitiunt herba; pecori nil gratius umbra est:*

sed

sed ne mo tamen etiam nostrum umbram fugit, ardente Sole: qui vel ad vallem confugiat, vel testum, arboremve petat,

*Quae fortes late ramos, & brachia tendens,
Huc illuc media ipsa ingentem sustinet umbram.*

*Id. II. Georg.
296.*

Umbræ captandæ gratiâ, ad exemplum Caji Principis, laxis arborum ramis, velut trabibus, scamna patula, vel Germani imponimus: superque iis, velut nido, eupulamur. Umbram sibi conciliaturæ Feminarum splendiores: in publicum, absque umbraculo, vix prodeunt unquam. In Orientalibus verò plagis, nemo unquam extra ædes conspicitur, umbraculo non munus. Sed & olim, Indiæ interiora jam celebriora reddidere & salubriora, arborum umbræ, æstus Solis levantes: nec minus hortos Babylonis pensiles, Græcorum fabulis vulgatos, vastissimarum arborum umbra commendavit. Captavit Alexander M. umbram, in Carmania, arborum frondibus, curru vectus: & dignus judicatur historiâ Cotys, Thracum Rex: quod per Regionem suam commessabundus proficiscens, ad fontes & loca diverterit, umbris opaca. Specialem sanitatis tuendæ exercitationem antiquitus exhibebat *Zwapaaxia*: sive sub dio institueretur, sive tecto, sive mixta umbra. Hinc Glauco Carystio pyctæ, sive pugili, quod adversarium manu, quâ vice mallei usus, vomerem ab arathro excisum restituerat, profligasset; statua est erecta, habitu figuraque in umbrâ pugnantis, Solius umbræ, tumulo accommodandæ gratiâ, Platang in Diomedis insulam primum est in vecta: inde in Siciliam delata, interq; Italiæ primas donata. Tandem ad Morinos usq; per vecta, solo est adscripta tributario; ut Gen-

*Conf. Plin.
XII. 1. Cæf.
antiq. XXV. 1.*

*De Persis Ar
thenæq XII. 4.
de Sybaritis,
Id. ib. c. 6. de
Sinesibus
Niehoff Le-
gat. p. m. 222.
241. 242.*

*Curt. IX. 1.
V. 1.
Plut. in Alex.
p. m. 615. A.
Athen. XII. 14.*

*Galen. II. Sans
t.*

*Cæf. antiq.
XI. 6.*

*Theophr. IV.
7. Plin. XI. 1.*

Plin. c. l.

*Sigon. XII.
Imper. occ.*

*Deut.
XXXII. 11.*

Job. XL. 16.

Esai. XXX.

*Clearch. II.
vitar.*

res vel pro Umbrâ penderent vectigal. Ipsum Dionysii
Gymnasium, sub Platani umbraculo est introductum:
ipsa Atheniensium Academia, in luco, loco umbris læ-
tissimo, est erecta. Martiano nondum Imperatori, in-
ter venandum, Solis ardore defatigato, aquila panis a-
lis in aëre hærens, in subsecutura libertatis, futuraq;
Majestatis Imperatoriæ præsagium, umbram præbuit:
ne à radiis solaribus læderetur. Rectius longè, de um-
bra nobis gratulamur Ejus: qui, velur aquila, quotidie,
bonitatis super nos expandit alas, donec transeat ini-
quitas. Rectius hac etiam lætamur umbrâ: quam Se-
renissimorum Principum ac Ducum Meckleburgen-
sium, Principum ac Dominorum nostrorum Clemen-
tissimorum auspiciis, Academia quoque Huic conces-
sit, & hucusq; continuat Aquila Austriaca: quæ, quia
est ab omni prorsus austeritate aliena, non nisi benignis-
simis gratiosissimisque porro nos beabit austris. Gau-
dent equidem suâ & alii umbrâ, sub qua, cum Behemo-
tho, quasi in Secreti thalamo, malitiæ & securitatis se-
pulti somno, nidulantur: haud longè recedentes ab iis,
qui Egypti umbram umbræ præferebant nubis, aut
Solis radiis taxum anteponebant. Nec Lydis hosce
comparaveris male, *Σκιαροφύλων* nomine insignitis:
quod umbrâ quasi innutriti, ad vitæ spectare delicias
putarent: si radiis Solis in umbra prorsus non attinge-
rentur. Sed ut hæc umbra proximus est, non ad lu-
cem, sed tenebras gradus: ita cordatiorum eam quisq;
declinat cautè, tenebras evitaturus, planctu & strido-
re dentium occupatas. De Xerxe notum est, quàm
ille Platani sit umbra delectatus: ut, nullâ cogente ne-
cessitate, integrum sub eâ diem, maximo cum exercitu
consumpserit; tot copiarum remora, brevem antepo-
nens

ne voluptatē quāmq; ad discessum, frondes ramosq; *Alian.*
aureo veneratus monili, custodem quasi Amasiæ reli- *var. histor.*
querit, ac curatorem. Nec minus Hortensius hāc adeo *6. 14. p. m.*
erat umbræ jucunditate captus: ut, vino irrigare arbo- *37.*
rem sicut, in actione quādam, quam habebat cum Ci-
cerone susceptam; permutationem loci, ad dicendum
destinati, precariō postulare: uti, quam in Tusculano *Macrob. II.*
posuerat, Platano ipse suffunderet vinum. Adeo etiam *Saturn. 9.*
arbores doctæ sunt potare vina.

Crescat ut affiso latior umbra mero!

Verum enim vero: velut

Umbram non fructum Platanus dat: sic quoq;

Umbratili specie, fallere vita solet. (multos,

Parum attulit Reipublicæ utilitatis Hortensius: pessime Persis consuluit Xerxes: obsecordiam, operamque, *Justinus II.*
rebus umbratilibus frequentius ac Regiis impensam, a *Valerius*
Græcis, tanto Regi longè imparibus, devictus. Pessime *passim.*
sibi pariter ac suis consulunt, qui authoritatis suæ vel
libertatis umbrā, simulationes, libidines, dolos te-
gunt: quibus non quidem, quod pertineat ad usum, pe-
tunt; sed alteri diripiunt. Parum profecto trutinantes: *Curt. VIII*
nullam esse possessionem diuturnam, in quam gladio *8.*
invehimur dolove. Ab hac simulationum, aliorumq;
libidinem pravam subsequentiū vitiorum umbrā, a-
lienus beate FUNCTUS noster, DOMINUS ANDREAS
Wolff / rectius fertur Umbram Virorum, in vita, gra-
vissimorum sectatus. Arbitratur equidem, post Sacram
Plato paginam: plerosque eorum, qui maximas sunt
apud inferos, & dolorosissimas, ac horrendissimas pas-
suri pœnas, ex Tyrannis esse, & Potentibus, & Rerum *In Gorgia*
publicarum administratoribus: ob licentiam, quam ha- *fin. pag. m.*
buere *496.*

buere in hac vitâ peccandi. Sed noster tamen, et si quoq;
sibi qua licere sentiret; intelligebat tamen maximè,
non omnia expedire: ut omni procul dubio, non secus,
ac in umbrosâ vitæ valle, in ipsâ jam densissimis mortis
tenebris, divinâ sentiat Gratia factam, sibi præluentē.
Curriculum vitæ verbotenus Nobis filius **ANDREAS**,
J. U. Ctus fulgidissimus, sequentibus communicavit.
*Natus est FUNCTUS NOSTER, ad oras Malchovienses, anno
seculi hujus XII. ipso ANDRÆ die, Patre ANDREA Wolf;
fen; Matre, MARGARITA Spectiens. Continuo post na-
tivitatem, cum non nisi totum peccatismersum, adeoq; regni
caelestis extorrem, genuisse ex se filium parentes probè nos-
sent: princeps eorum cura fuit, ut per aquam & Spiritum
regentum, Christo ac Ecclesia ejusdem inferendum curarent.
Alter a; uti piè decenterq; educaretur, nihilq; intermiserunt
eorum, qua poliendo ejus animo apprimè facerent, doni-
cum ipse parens opera sibi precium facturum esse videre-
tur, si atate prodeciorem domi, ubi nulla ad dignitatum
fastigia perveniendi prostat occasio, baud diutius residere
pateretur; sed Virorum, auctoritate longè gravissimorum,
umbram sectari juberet. Quaproinde fini, cum esset iam
annorum XVII, huc pervenit Rostochium anno 1629: ubi Eum
in initio excepit Vir Magnif. ac Nobilif. DN. JOACHIMUS
Schûze / Urbis hujusce quondam Consul meritiſſimus, cu-
jus etiam negotia quatuor, & quod amplius, expedivit an-
nos. Inde sibi eum, ad annum cum dimidio, delegit Vir No-
bil. Ampliſſimus, Excell. atq; Consult. DN. HENRICUS
Rahne / J. U. D. & Professor olim hujus Academia celeb.
itemque Consistorii Ducalis Adſeſſor graviſſimus. Tandem
operas ejus expetiit ad quinquennium, Vir Ampl. atq; Prud.
DN. DANIEL Braun / Urbis hujus Senator quondam
prudentiſſimus. Sic se, ſateetur FUNCTUS, & horum pro-
vida*

vidā curā, & suapte sponte, gessisse: ut minimè desidia ope-
ratus, nec seculi hujus moribus per versis conformatus fuerit;
sed magno potius conamine superioribus suis dicto audiens
exiit. Cùm ejus jam esset ætatis conditionisvè, ut de
conjugio sollicitum esse oporteret: fausto planè ac felici sidere
delegit sibi Vita torique sociam, ANNAM SCHLUTOVIAM,
Viri honoratissimi, DN. HERMANNI SCHLUTOVII, Cere-
visarii & Negociatoris eximii filiam, JOACHIMI LIN-
DEMANNI, Civis quondam nostratis præstantissimi Viduam;
Anno 1641. die 9. Novembr. Cui etiam pacatè decoreq; coha-
bitavit: adèd ut, quicquid vel excogitari benivolentia potue-
rit, id in alterum alter ultro lubensque contulerit. Nec
improliis torus exiit: nati enim, stante eò, filii duo & una
filia. ANDREAS scilicet, Anno XLII. d. 30. Decemb. MARGA-
RETHA, an. XLVIII. 27. Jan. & DAVID, an. LXIX. d. 22. Dec.
ILLE, juris studiis antebac in Illustribus Helmeftadiensium
& Jenensium, inque hac præcipuè patriā Acad. operatus, ope-
raturq; hodiè; maximamque se FUNCTI discessu fecisse;
jacturam ingenuè fatetur. ISTA, elocata DN. VINCENTIO
FRIDERICI, Nobiliss. statuum Provincialium Secretario,
an. LXVI. die 14. Aug. Cui etiam peperit ANDREAM & VIN-
CENTIUM filios: ex quibus FUNCTUS incredibilem animæ
voluptatem, maximamque letitiam, nunquam non percepit.
Hic, DAVID scilicet. teneriori ætate repetit originem, cæloq; suo,
unde venerat, est restitutus. Anno 1651. Nobilissimi status
provinciales, ei honores Præfecturæ Mecklenburgici provin-
cialis, quod Rostochii est, ærarii decrevere. quam etiam spar-
tam annos 15. viriliter & sincerè dicitur exornasse. Anno
LXIII. amplissimos Senatoria dignitatis gradus adeptus est:
ubi omnes officiorum partes, cum nominis sui gloria, ita
explevit, ut sane nullus reprehensionem jure meruerit. An-
no LXII. d. 28. April. Deò ita disponente, factitatum: uti Con-

iuxta fato funderetur, diemque obiret suam. Causas proin sat
pregnantes habere visus: ad secunda vota transit, conjuga-
lique vinculo se Femina, ANNÆ Kleinen / VIRI honoratissi-
mi, Dn. HENRICI Buecken / Jud. Camer. Secret. relicta vi-
dua, anno 1668. die 14. April. associavit. Bene jam multum
est tempus, ex quo male habere, & corripitur morbo cepit. Quan-
quam enim respirare subinde visus est: valetudo tamen re-
lapsa identidem in prius pejusque. Cum igitur hisce in-
terris nil amplius sperare haberet, satiusque hic diu vixisse
videretur, & corpus restaurari nequiret: animam eo, quod
adversus spiritualem mortem validissimum esse poterit
presidium, cœnâ, inquam, Dominicâ, reficiendum curavit; mee
dicamine ministrante viro plur. Rever. & Excell. Domino
HENRICO MULLERO. Theol. D. & Prof. celeb. quin & ad
Div. Mar. Pastore & Eccles. Rostock. Superattendente di-
gnissimo: quo etiam, tanquam pretiosissimo viatico, illi, quod
non diu post consociendum instabat, itineri sese preparavit;
donec tandem inter tot suspiria, totque preces (quam profe-
ctò curam nullò etiam aliò vite tempore neglexerat,) nullo ve-
hementiori corporis motu, ad omnia sibi constans, (uti magis
feliciter de vita migrare, quam mori videretur.) postquam
annos LXII. cum dimidio, vivendò compleisset, in mortalibus
censeri desivit. Commentationi, ob spacii angustiam,
subjungimus nihil: nisi, quod ad supremum Exequia-
rum, dormitorio hodie suo reponendarum honorem
præstandum, omnes Vos & singuli, CIVES OPTIMI,
quâ par est auctoritate & humanitate, seriò invi-
temini, seduloque.

Publicatum sub Rectoris Sigillo, die VIII. Junii,
M DC LXXV.

Conventus fiet in Æde Marianâ,

mens voluptatē: quāmq; ad discessum, fro
aureo veneratus monili, custodem quasi
querit, ac curatorem. Nec minus Horter
erat umbrā jucunditate captus: ur, vino
rem s̄vetus, in actionē quādam, quam hab
cerone susceptam; permurationem loci,
destinati, precariō postulat: uti, quam
posuerat, Platano ipse suffunderet vinum
arbores doctæ sunt potare vina: :

Crescat ut affuso latior umbra mero
Verum enim vero: velut

Umbram non fructum Platanus d

Umbratili specie, fallere vita solet

Parum attulit Reipublicæ utilitatis Hor
mè Persis consuluit Xerxes: ob socordiam
rebus umbratilibus frequentius ac Regi
Græcis, tantò Regi longè imparibus; dev
sibi pariter ac suis consulunt, qui auth
libertatis umbrā, simulationes, libidin
gunt: quibus non quidem, quod pertine
tunt; sed alteri diripiunt. Parum profect
nullam esse possessionem diuturnam, in
invehimur dolove. Ab hac simulatione
libidinem pravam subsequentiū vitio
lienus beate FUNCTUS noster, DOMIN
Wolff / rectius fertur Umbram Virorum
vissimorum sectatus: Arbitratur equide
Plato paginam: plerosque eorum, qui
apud inferos, & dolorosissimas, ac horr
furi pœnas, ex Tyrannis esse, & Potenti
publicarum administratoribus: oblicen

) (3



q; *Ellian.*
i: *var. hikor.*
o *c.14. p. m.*
37.

o *Macrob. II.*
n *saturn. 9.*

e, *Justinus II.*
a *Valerius*
nè *passim.*

es: *Curt. VIII*
lio 8.

m *In Gorgia*
ha *fin. pag. m.*
ere 496.